



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 5. Francisci Crassi Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A. C. 1566.

§. V.

Francisci Crassi Cardinalis extrema.

*Victorel in
add. ad
Ciacon. t. 3.
pag. 987.*

Alter erat Franciscus Crassus Mediolanensis, ac Petri Antonii celebris Jurisconsulti Filius, qui originem duxit ex antiqua, ac nobili Mediolanensium familia, ex qua diversis temporibus, tres ipsius civitatis Mediolanensis Episcopi, Thomas, Alipertus, & Landolphus florere, quorum primus etiam Divorum Catalogo adscriptus est. Porro ineunte ætate Franciscus primos annos literis, ac præsertim jurisprudentiæ impendit, unde tam præstanti forensium rerum cognitione excelluit, ut Mediolanensis Senator Ducalisque Fisci Præses, regiusque Consiliarius fuerit nominatus: ubi etiam duxerat uxorem, qua tamen orbatus a Pio V., cui adhucdum Cardinali Franciscus veteri amicitiae jure junctus erat, Romam accersitus ex Protonotario Apostolico, & Bononiensis Urbis Governatore Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Diaconus Cardinalis S. Luciae, dein sanctæ Cæcilie Presbyter renunciatus est, interfuitque Comitibus Pii V., quo regnante Romæ hoc anno die prima septembris annum agens sexagesimum sextum e vitamigravit. Hic idem in
funere

funere Caroli V. Cæsaris, a quo pluri-
 mi habitus inter Senatores adlegeba-
 tur, eloquentissime perorabat, tum
 vero nondum sacræ militiæ adscriptus
 erat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1566.

§. VI:

Joannes Suavius Cardinalis mortuus.

Tertius erat Joannes Suavius Gallus
 ex Vasconum Provincia in quodam
 Pago Rieumes dicto Anno post Virginis
 partum millesimo quingentesimo tertio
 natus. Hic ob jurisprudentiæ tam sa-
 cræ, quam profanæ eminentiam Rotæ
 Romanæ Auditor, Mirapicensis Epi-
 scopus, ac denique a Paulo IV. gra-
 vissimis negotiis præfectus, Mense De-
 cembri Anno supra millesimum quin-
 gentesimo quinquagesimo quinto Pres-
 byter Cardinalis tit. sancti Joannis ante
 portam latinam nominatus est, quo
 tamen titulo jussu Pii IV. mutato illum
 sanctæ Priscæ obtinuit, atque ab eodem
 Pontifice Inquisitionis Tribunali præ-
 positus sancti Didaci Hispani Canoni-
 zationem promovere jubebatur. Tan-
 dem die vigesima nona septembris An-
 no post Christum natum millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo sexto, postquam
 sexagesimum tertium ætatis suæ an-
 num expleverat, ex calculi doloribus
 Romæ obiit, sepultusque est extra Ec-
 clesiam

Ciacon. t. 3.
 pag. 850.
 Aubery vie
 des Cardin.